(24)-2

Multa quoque alia ex illis magne antiquitatis temporibus confingi fabulis potuerunt. Sed usque ad cecropem regem atheniensium quo regnante eadem civitas etiam tale nomen accepit et quo regnante deus per moysen eduxit ex egipto populum suum relati sunt in deorum numerum aliquot mortui ceca et vana consuetudine ac superstitione grecorum. In quibus criasi regis coniux melantomice et forbas filius eorum qui post patrem rex argivorum sextus fuit et septimi regis triope filius iasus et rex nonus stenelas sive istenelus sive steneleus varie quippe in diversis auctoribus invenitur. His temporibus etiam mercurius fuisse perhibetur nepos athlantis ex maia filia quod vulgatiores etiam littere personant. Multarum autem artium peritus claruit quas et hominibus tradidit. Quo merito eum post mortem deum esse voluerunt sive etiam crediderunt. Posterior fuisse hercules dicitur ad ea tamen tempora pertinens argivorum quamvis nonnulli eum mercurio preferant tempore quos falli existimo. Sed quolibet tempore nati sint constat inter historicos graves qui hec antiqua litteris mandaverunt ambos homines fuisse et quod mortalibus ad istam vitam commodius ducendam beneficia multa contulerint honores ab eis meruisse divinos. Minerva vero longe his antiquior. Nam temporibus ogigi ad lacum qui dicitur tritonis virginali fertur apparuisse etate unde et tritonia nuncupata est. Multorum sane operum inventrix et tanto proclivius dea credita quanto minus origo eius innotuit. Quod enim de capite iovis nata canitur poetis et fabulis non historie rebusque gestis est applicandum. Quamquam ogigus ipse quando fuerit cuius temporibus etiam diluvium magnum factum est non illud maximum quo nulli homines evaserunt nisi qui in archa esse potuerunt quod gentium nec greca nec latina novit historia. Sed tamen maius quam postea tempore deucalionis fuit inter scriptores historie non convenit. Nam varro inde exorsus est librum cuius mentionem superius feci et nihil sibi ex quo perveniat ad res romanas proponit antiquius quam ogigi diluvium hoc est ogigi factum temporibus. Nostri autem qui cronica scripserunt prius eusebius post ieronimus qui utique precedentes aliquos historicos in hac opinione secuti sunt post annos